

priores & posteriores Analyticos à definitione finis ejusq; resolutione in sua principia inchoavit. Nec obstat, quod in libro de interpretatione videtur servasse ordinem compositivum, quia incipit à nomine & verbo, & transit ad enunciationem ex nomine & verbo compositam: cui deinde in prioribus analyticis superstruitur doctrina de syllogismo ex enunciationibus componendo. Quia enim in Logica, ut arte intellectuali, operatio à doctrina non est, ut in alijs artibus mechanicis, disjuncta, sed dum docetur instrumentorum logicorum generatio, ipsa instrumenta generantur: ideoq; propter operationem logicam, quæ ex terminis construit propositiones, & inde fabricat syllogismum, & ita à principijs syllogismi progreditur ad ipsum inde constituendum, doctrina quoq; logica in aliqua parte Logicæ ordine quodam compositivo tradi potest. Si tamen pars Logicæ communis tota dicitur in syllogismo, tanquam sine totius Logicæ, occupata, ut ejus forma, hætenus nuda, deinde in parte propria certis materiæ conditionibus applicetur, res clara est.

34. Sic quum Rhetoricæ finis sit, bene & accommodate ad persuadendum in qualibet quæstione, & imprimis politica, dicere, & oratione probabili in cujusvis animo opinionem aliquam gignere: ideoq; ad hunc ipsum finem semper dirigit rhetor oculus: & cum oratoris probi officia persequitur, ut argumenta inveniat, disponat, exornet, pronunciet, in singulis ita progreditur, ut omnia media ad finem illum referat, & quæ ad illum consequendum non faciunt, non attendat.

35. Idem dicendum de Poetica, quæ persuadere conatur oratione ligata & numeris adstricta, & τὸ ἡδύ & delectationem ubiq; πρὸς πειθάνῳ seu persuasioni studiose conjungit. Huc enim refert in omni rhythmo & carmine omnem poeticam inventionem, dispositionem & elocutionem: omnesq; metri pedes propter dictum finem cunit, & quod ab eo abludit, improbat & rejicit.

36. Nec in artibus mechanicis, si forte ordine docentur aut discuntur, aliter proceditur, sive eæ sint philosophicæ ex mathesi & physica propagatæ, sive quæcunq; aliæ, aut κοσμητικῆ & ornatrices, aut ὠφελητικῆ & adjutrices. Nam si exempli gratia Georgicam artem velis accurate docere, omnia necessum est ad finem ejus, qui est, ex fundo